Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8135
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

quo ibi nocte quadam existente diris lacrimis undique madefacto. In sompnis eidem gloriosus hieronymus veniens manumque eius ut sibi videbatur capiens ad civitatem hierusalem secum duxit. Expergefactus mane putans se in castro a militibus retineri in domo qua maneo se invenit. Cum ammiracione velut amens quasi utrum in castro a militibus retinerer vel in domicilio meo staret nullatenus discernebat in se. Postremo rediens emissa nocte dormientem familiam excitavit. Currunt igitur ad me famuli adesse iohannem ineffabili gaudio nunciantes. Quare dubius accurrens quem a persis vinctum putabam presentem cerno. Quoque quid ei acciderat enarrante deo et glorioso hyeronimo laudes maximas persolvimus.

Sanctimonialis quedam domina omnium pene pulcherrima feminarum etate iuvencula. Sed animi sapiencia valde cana. beati hieronymi devotissima in quodam cenobio dominarum multa sanctitate ut opinor adhuc vivit. Cui quod audies dicitur contigisse. Sit mulier hec aliis in exemplum que huc illucque per plateas et vicos discurrere non cessant. sua stultorum hominum illaqueantes animas visione